

F E R D I N A N D O

UTRIUSQUE SICILIAE

R E G I.

*T*E Pater elegit: frustra sententia Patris
Ne foret, hanc reddis moribus ipse ratam.
Te Pater elegit, regnis dominaris utrisque
Ut Siculis: praestas rite, quod ille jubet.
Cum merito est effusa potentia Patris in hostes,
Exigit, ut jubeat, Te simul ira subit.
Imperio pares, complēs exempla; tot hostes
Fluctibus hinc inhibes, persequerisque Mari.
Praeterea aetatem supra solertior ornas,
Rostratasque rates ire, redire jubes;
Ut pelagi hostiles naves rimentur in arvis:
Vincere & has ferro ni datur, igne vorent.
Id Solio devota Tuo mea carmina narrant,
Quae nullus vereor, grata futura Tibi.
Nec quia sint cedro, nitido nec amoena cothurno:
Utque forent, merito sunt leviora Tuo:
Sed quoniam referunt, Patris quae sacra voluntas,
Arbitrio cujus parta corona fuit.
Talis & es pariter, non jure ut sanguinis uno,
Sed Pater ingenio Te meruisse probet.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]